



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

II. De vestibus clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1324. ti constitutione iubemus , vt episcopi vocati ad Concilium personaliter veniant, nisi fuerint impedimento legitimo , de quo nobis fidem facere teneantur, præpediti , * secturi. Quod nisi fecerint , pœnas contra eos statutas a iure publicari & seruari faciemus, ad alias nihilo minus , sicut expedire viderimus, processuri. Et yt plenior informatio habeatur, episcopi in casu in quo sint legitime impediti , & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad dictum Concilium procuratores idoneos de statu propriarum ecclesiarum & dioecesum informatos.

II.

Antiquos Canones, qui in clericis superflua & inhonesta prohibent , ad memoriam reducentes , statuimus , quod nullus clericus supertunicale vel tabardum post mensem a tempore publicationis præsentis constitutionis deferat ita longum , quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas & indecentia censeatur. Clericus vero qui contra fecerit, supertunicale ipsum seu tabardum ipso facto amittat , per proprium , seu eius vicarium , seu officiale , pauperibus erogandum. Caeant & clerici, ne mantellos seu chlamydes nimia longitudine vocandos, nec cum chordis , & nimis longis , nec tunicarum manicas nobiliter nimis breues , ita quod brachia nudæ appareant , si pœnam consimilem voluerint euitare. Quilibet etiam clericus barbam faciat sibi radi quolibet saltem mense, nec crines deferat nobiliter infra aures. Ceterum quia in partibus istis morbus detestandæ inhonestatis irre-

Concil. Tom. 29.

P

psit, quod mulieres quæ soldaderas vulgariter nun-
cupantur, intrant publice domos prælatorum &
magnatum ad comedendum & alia, loquentes pra-
ua & inhonesta colloquia plerumque corruptentia
bonos mores, facientes spectaculum de seipsis: præ-
cipimus omnibus, & maxime prælatis, sub obtesta-
tione diuini iudicii distictius iniungentes, ne hu-
iustmodi mulieres permittant intrare vel esse in do-
mibus eorumdem, nec aliquid dent eisdem.

III.

Quorundam clericorum abusum, qui fructus
capellaniarum perpetuarum, seu beneficiorum,
quæ ex deuotione fidelium in eorum instituuntur
ecclesiis, auctoritate propria sibi appropriant, inter-
se diuidunt sub prætextu, quod ipsi volunt dictis
capellaniis seu beneficiis deseruire, vel alias, cum
de ambitionis radice procedat, & per ipsum cul-
tus diuinus minuatur, quem desideramus augere,
& ab institutione capellaniarum seu beneficiorum
plurimi retrahantur, penitus reprobamus & pro-
hibemus, expresse præcipiendo, quod huiusmodi
capellaniæ, seu beneficia instituta, & de cetero
instituenda, habeant iuxta ordinationem statuen-
tium proprios seruitores. Qui vero sine licentia
dicœsaní episcopi contra fecerint, a beneficiis quæ
habent in ecclesiis in quibus hæc commiserint, do-
nec plene restituerint quidquid contra præsentem
prohibitionem percepérint, sint suspensi.

IV.

Inter episcopales sollicitudines illa debet esse præ-
cipua, quæ versatur circa curam seu regimen anima-